



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaë

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XLIII. Luere, Luitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

situatio 4. ff. de minorib. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præf. 45. num. 16. Mari. Anton. var. resolut. lib. 3. resol. 1. num. 62. Stephan. Gratian. disceptat. forens. tom. 4. cap. 770. num. 21. & tom. 5. cap. 967. num. 28. Si impugnans scilicet obtinuerit, fecus si succubuerit. Anton. Gabr. commun. tit. de Regul. concl. 1. numer. 52. limit. 8. Stephan. Gratian. d. tom. 4. cap. 688. num. 38. & cap. 704. num. 41. ubi num. 40. limitat, in impugnatione necessaria, & legali. Limita etiam dum lis pendet, quia ea durante impugnans ex actu impugnatō lucrum consequi valet. Anton. Gabr. d. conclus. 1. num. 40. Francisc. Vivi. decis. 379. numer. 6. Franciscus Antonin. lib. 1. resolut. 36. numer. 7. Giurba decis. 55. numer. 11.

CAP. XLI.

De Luctu.

Quoties in viduâ nulla adest graviditatis præsumtio, toties licita est circa annum luctus dispensatio, quia sic cessat prohibitionis ratio naturalis, nimirum confusio sanguinis; superest verò civilis saltem, nempe reverentia manibus mariti debita. N. 22. c. 22. quam tollere & circa eam disponere potest princeps.

Exempl. Ita ergo si maritus ante obitum per longum tempus agrotaverit, seu aliàs debitum conjugale non præsterit, licite dispensabit princeps. Carpoz. Jurisprud. Eccles. Lib. 2. def. 164.

CAP. XLII.

Ludus.

Axioma I.

In ludo quod fit, non præsumitur animo nocendi factum. l. si explagis. 52. §. 4. & ibi Gothofred. in not. ad corp. gloss. ut & Joh. Oldendorp. ad L. Aq.

II.

Ludi jure sunt prohibiti. r. t. ff. & C. de aleat. & allus. Ex ludis enim proveniunt blasphemie, perjuria, dilapidationes, lachrymæ, l. fin. C. de aleat. inimicitia, jurgia, cædes & plurima alia incommoda, quæ enumerantur ab Hostiens. in summ. de Eccl. prælat. verb. Clericis. Par. de Puteo de ludo. num. 4. Petr. Gregor. in Syntagm. cap. 3. num. 10. lib. 13. qui refert Anton. Florentium dicentem, ex ludo tot crimina nasci, quot sunt in taxillis puncta Menoch. lib. 2. arbit. jud. cas. 399. Lancellot. in tr. de offic. Prætor. in caus. criminalib. cap. de Lusorib. num. 2. Unde & aleatorum nomen pro infami haberi docent. l. 2. §. ult. ff. de his qui not. infam. l. 225. de V. S. l. 26. de injur. imò non tantum pugnare cum jure naturali, quippe qui alterum locupletiosem cum damno

alterius reddunt. contra l. 14. l. 66. de condit. indeb. l. 6. §. 3. ff. de negot. gest. sed & divino juri esse contrarios, ex Luthero ostendit Rauchbar. p. 2. q. 25. n. 36. quia de causa nec per contrariam consuetudinem induci posse, statuit Carpoz. 6. R. 96. ubi limitat hanc regulam in ludis, qui non fortunæ tantum, sed & artis sunt: hos enim qui sola arte, viribus vel ingenio peraguntur regulariter licitos & permisos esse, patet ex l. 2. §. 8. l. fin. de aleat. l. fin. C. de religiof. hisce adjunguntur & similes lusus, qui virtutis & ingenii excitandi vel acutiendi causa fiunt. l. 7. §. 4. l. 55. §. fin. ff. ad L. Aquil. l. 4. ff. de his qui not. infam. l. 8. de Excus. tut. l. 1. §. 6. ff. de postul. l. 40. de re jud. l. 5. C. quæ res pign. oblig. poss. l. unic. C. de Ablet. Lancellot. in cap. de Lusoribus. num. 18. Stephan. Cost. de ludo §. 2. num. 12. & 15. Clar. lib. 5. senor. §. ludus. num. 4. unde etiam nec Clericis ludere interdictum. Accurs. in Auth. interdicimus. verb. tabulas. C. de Episcop. & Cler. & in Nov. 124. Paris de Puteo de ludo n. 6. Joh. Aquila de omni ludor. genere 5. periphra. 3. Coroll. 1. 2. 3. Rauchbar. p. 2. quæst. jur. & civil. & Saxon. 24. n. 8. daturque actio & petitio eorum, quæ ex hac causa debentur. l. 1. C. de aleat.

Excipe (1.) nisi & in his ludis licitis dolus, fraus vel circumventio interveniret. l. fin. verb. quibus sine dolo. C. de aleat. l. 9. §. 4. ad L. Aquil. Lancellot. de Lusorib. num. 13. Panorm. in cap. Clerici de vita & honest. n. 13. vel (2.) nisi quæstus & lucri causa instituerentur. l. 1. verb. qui artis ludicæ pronuntiandæ. l. 2. §. 5. ff. de his qui not. infam. l. 1. §. removeret. de postul. l. 14. de pen. l. 23. §. 1. C. de nupt. l. 4. C. de Episc. aud. l. 8. §. vir. C. de repud. l. 4. C. de spectac. Novell. cap. 3. §. si præter. 10. vel (3.) si lusus tales essent cruenti noxii, ex quibus crimina, cædes & injuria orirentur. §. illud in proam. ff. ut sunt duella. l. 3. princ. ff. de liber. & posthum. l. unic. C. de gladiator. cap. monomachiam. 2. quæst. 4. cap. 1. & 2. de purg. vulg.

III.

Apuð Romanos decuriones ad voluptatem provincialium ludos edere tenebantur, & si hos negligebant, ipsa Civitas edebat, & Decurio protinus compellebatur sumtus reddere. l. 20. C. de Decur. Perez. cod. tit. n. 51. 52. De his ludis voluptuariis vid. tot. tit. C. de spectacul. & scen. qui in Rep. omninò prohibendi. Perez. Cod. ibid. n. 14. 15. aut à magistratu cavendum, ne in Ludis & Comædiis verba impudica vel gestus lascivi interveniant, sicut in concessione Majumæ l. un. C. de Majum. Perez. C. cod. n. 5. 6. 7. Ludi enim & Comædiæ approbantur, quæ à juventute & Collegio civium virtutis causâ exhibentur. Perez. C. de spectacul. & scen. n. 17. 18. ut & spectacula venationum. Perez. C. de Venation. Fer. num. 5.

CAP. XLIII.

Luere, Luitio.

Axioma I.

Luat in corpore, qui non habet in are. l. si quis

quis 7. §. in seruos 3. ff. de iurisdic. l. si sine 25. ff. de in ius voc. l. 1. §. generaliter fin. ff. de pan. l. quicumque 4. §. quod si C. de seruo fugit. l. quod si minor 25. §. si seruus 2. vers. si executio. ff. de minor. cap. finem litibus de dolo & contumacia.

Declarat & limita I. hoc procedere quando est obligatus ex maleficio, vel quasi. Panorm. in c. 2. per ill. text. de malefic. Jas. in l. si idem cum eodem. col. 5. ff. de iurisd. & in §. penales. super gloss. in gloss. in eum. & §. fin. vers. eum quoque num. 3. vers. quarto. Inst. de action. gloss. in cap. si res verb. cruciatu 14. quest. 6. secus esse quando teneretur ex contractu. l. 1. C. qui bon. ced. poss. l. Nemo carcerem 10. de exact. tribut. Zas. ad d. §. penales. Inst. de action. numer. 24. Ludov. Gomez. ad §. item si quis. Inst. de action. n. 42.

II. Obtinere in vilibus personis: secus in honestis, egregiis & nobilibus personis. Bart. in l. 1. in fin. ff. de pan. Felin. in cap. ad liberandum. col. 1. extr. de iudeis. Bolognini. in reper. Auth. habitus col. 12. vers. & stante. C. ne filius pro patr. Salicet. in l. & si superior. col. 3. C. in quib. caus. infam. Hyppolit. de Marfil. dum allegat. Bart. in l. Divus. col. 2. ff. de quest. Jason. in Auth. ad hac in fin. C. de iudic.

III. Procedere si creditor ita voluerit. d. l. ult. ibi ex querela. ff. de in ius vocand. de quo tamen maxime dubitat Lud. Gomez in §. penales. Inst. de action. n. 16. motus ratione ea, quod ubique in defectum provisionis hominis succedit provisio legis, illud remedium per hominem privatum tolli non possit, quam multum commendat Jas. in l. 2. verb. repellere circa med. de iure Emphyt. Bart. in l. fin. C. de pact. convent. & in l. 1. §. unde queritur in fin. ff. de publican. idem Jason. in §. item serviana. Inst. de action. col. 10. num. 69. & in l. item quia. col. 2. num. 3. ff. de pact. At in casu d. l. ult. poena corporis succedit in defectum provisionis hominis: Igitur illa poena corporalis non poterit per patronum remitti, cum sit poena legalis & posita in arbitrio iudicis, ut in l. 1. §. fin. ff. de pan. l. quicumque 4. C. de servis fugitiv. cui privatus derogare non potest. l. nemo potest. 55. de legat. 1.

IV. Subsistere etiam si reus totam poenam persolvere vellet, excepto unico nummo, quia pro illo debet luere. arg. l. 5. §. si sortem de V. O. vid. Bald. in l. cum scit. C. de sepulchro violat. Ratio, quia qui in uno peccat factus sit omnium reus, cap. desleat. de reg. jur. Felin. in cap. causam. col. fin. de probat. ac nihil fecisse quis dicatur, cum aliquid ad agendum superfit. l. pen. C. de his quibus ut indign. cap. 1. de baptism. modicumque fermenti totamque massam corrumpit, ut ait Hostiensis. in cap. ad probandum de re iudicat. post gloss. in l. si unus. §. pactus ne peteret. verb. ipso iure in princ. ff. de pact. Ludov. Gomez. ad d. §.

penales. Inst. de actio. num. 18. ubi tamen numer. 20. non procedere dicit, si nummus ille propter errorem calculi omissus esset, tunc enim pro illo puniri non deberet, per ea quae tradit Bald. in l. quomodo de condit. & demonstrat. quem sequitur Imol. in l. Executione. ff. de V. O.

V. Limitari etiam potest, eam non verificari in multa, quae extraordinarie a iudice indici solet: illam enim ob paupertatem remittendam esse, ex l. illicitas 6. §. ult. de offic. praesid. probat. Costal. ad d. l. 7. ff. de iurisdic. plures limitationes vid. apud Jasonem, quas ordine recenset in d. §. penales. super gloss. & §. fin. vers. eum quoque. n. 13. vers. 4. Inst. de action.

II.

Luendi jus nullum existit donec fors solvitur. l. si rem 9. §. omnis. 1. ff. de pignor. act. Bald. in tr. de praescript. 4. part. 5. partis pr. q. 2. num. 1. nec ulla ante oritur actio pignoratitia. d. §. omnis vers. omnis pecunia. Wesenbec. 1. conf. 3. num. 38.

III.

Luitiois jus inest naturae pignoris licet non exprimatur. l. ne creditores. 10. cum ll. seqq. C. de pignor. act. l. si rem. 9. §. omnis 3. cum seqq. ff. eod. Ratio, quia relatum inest reterenti. l. hac venditio 7. §. 1. de cont. empr. Bald. consil. 99. quidam lib. 1. Alex. cons. 75. in causa. num. 4. vers. secundo respondeo. lib. 7. Socin. consil. 227. praesens in fin. & consil. 251. quoniam num. 6. lib. 2. Dec. consil. 532. pro vera. num. 2. Tiraq. in LL. Connub. in fin. gl. 5. numer. 176. cum seqq.

IV.

Luitiois spe verisimiliter desinente, pignus in alium transit contractum. l. qui habebat 101. ubi Bart. de legat. 3. Jason. in l. qui Rome princ. numer. 26. de V. O. & in l. si res obligata de legat. 1. l. 4. de just. & jur. Wesenb. 1. conf. 2. num. 81.

V.


Luitio pars est contractus. Gozad. in l. 2. num. 7. Cod. de pact. inter empr. Tiraq. in retract. convent. princ. numer. 21. & §. 1. num. 1. eod. tit. per l. fundi partem 79. ff. de contrah. empr. ubi Bald. & Salic. in l. si sterilis de act. empr. cum aliis per eum allegatis.

C A P. XLIV.

De Luxu.

Variae leges late sunt ad refranandum luxum vestium, conviviorum, aedificiorum, oblationum Principi, senatoribus, aulicis factarum. vid. Perez. C. de oblat. Votor. n. 4. 5. 6.

FINIS LIBRI DECIMI.



Qg

LIBER